DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimo menſis Junii, anno M. DCC. XLIX.

M. JACOBO-FRANCISCO LE CHAT DE LA SOURDIERE, Doctore Medico, Præſide.

An infirmis à morbo viribus reparandis Piſces?

I.

EODEM quo vivimus motu deſtruimur. Præcipites rueremus ad interitum, niſi jugi cordis impulſu attritæ vires ſucco alibili inſtaurarentur. Hinc uſus animantium vegetantiumque reparandæ tuendæque ſanitati neceſſarius: ita ut quæ noſtris ſubjecit imperiis corpora ſummus rerum Opifex, illud ſic in nos dominium exerceant, ut ſine ipſorum ope aut ſanitas illibata, aut vita ipſamet inconcuſſa ſervari nequeat. Dulce quidem jugum, & quod facilè ferant homines, præ multiplici alimentorum varietate, & nativâ quâdam, quæ nos allicit blanditie. Hinc ſæpè in ambiguo eſt, an ad aſſumenda alimenta cogat imperioſa neceſſitas, an potiùs invitet, & alliciat voluptas illecebroſa. Quamvis ſuæ cuique cibo ſint deliciæ, non tamen ingluviei famuletur benigna hæc de quâ loquimur multiplicitas. Alimenta licet diverſa, quæcumque ſint, ſolida, aut liquida, craſſa, tenuia prævià indigent elaboratione, ut ex variâ heterogeneâque eorum maſsâ conſtans & homogeneus chylus exurgat. Lac ipſum chylo maximè analogum iiſdem ſubjacet legibus, & ut pariat chylum, cum ſuccis in ſtomachum & inteſtina confluis coeat neceſſe eſt. Nec mirum quòd à nutrimento multiplici idem liquor conſletur; omnia quibus vivimus vegetabilia ſunt, ſucci etiam animales ſunt ſucci vegetabiles, qui alterâ quaſi (a) μετεμψυχώσει in alterius animalis naturam transſmutantur. Huic peragendæ transformationi ideò potiſſimùm tot & tantæ concurrunt potentiæ, ut ſi deglutita vim unius effugiant, alterius actionem experiantur. Hinc primùm in ore triplici ſubiguntur dentium ſerie, & ſalivâ undique confluente imbuuntur. Inchoata ſic diſſolutio in ventriculo ulteriùs elaboratur, in duodeno demùm perficienda. Fruſtrà tamen tot organa æquis ferè agerent viribus, fruſtrà in eundem effectum conſpirarent, niſi propulſus ille chylus in maſſam ſanguinis, repetitâ pulmonum, cordis, & arteriarum actione comprimeretur, elaboraretur, ſepararetur, quò ros nutritius poſſet uſque in abditiſſimos canalium receſſus incuneari! Hinc ſuperatâ venâ axillari pulmonem ſubit in quo regitur pro modulo motuque reſpirationis: maximam minimamve ob preſſionem quam experitur, alternè ſubigitur & reſtituitur. Indè mox irruens quaterno agmine in ſiniſtrum cordis ventriculum, ex uno torculari in alterum committitur, ut certiùs in ſuccum naturæ homogeneum noſtræ compingatur. Nec ſatis eſt hunc toties fractum, diviſum, & ſubactum fuiſſe, craſſioris quid tamen & priſtinæ ſervat indolis, quò infarctis variis canalibus nutritio minùs proſperè ſuccederet. Hinc deglutita, licèt per longos & tortuoſos inteſtinorum anfractus à craſſiori materiâ expurgata, & nonniſi ſummâ naturæ anxietate intrà humores admiſſa, fæces tamen adhuc intrà ſanguinis alveum devehunt, corpori humano infenſiſſimas. Iis rejiciendis ſordibus, millena patent ora ſpiraculorum cutis, quæ ſeroſum,

(a) Haller. inſt Med. T. I. p. 327. §. LXXXVII.

& ſalſum humorem continuis efflant exhalationibus. Hinc etiam renes in utroque latere poſiti, veluti ſentinæ duæ, à liquido craſſiori corpus pariter expurgant univerſum. His auxiliis, & hâc triplici coctione, maſticata digeruntur, digeſta præparantur, præparataque defæcantur, ut in noſtram utiliùs faceſſant ſubſtantiam.

I I.

TRIPLICI huic coctioni favent, aut officiunt, variata digerentis actio & ciborum delectus multiplex. Alimenta inter & vires concoctrices maxima adeſt, & debet adeſſe, neceſſitudo. Illa enim, viribus invitis, non aſſimilantur; viciſſim alimentis craſſis, & tenacibus, vires victæ prorſus deficiunt. Valemus ex cibo, ex cibo ægroti jacemus. Multiformis alimentorum ſeries ex animalibus vegetabilibuſque depromitur. Fert tantùm auxilium regnum minerale condiendis cibis, hiſque vim & energiam conciliandis. Inter vegetantia eminent fruges, olera, fructus, quæ quidem adeò variantur præparatione & condimentis, ut alienam carnium naturam mentiri videantur. Fatendum tamen eſt, animalium carnes, ſuaviores eſcas & ſalubriores ſuppeditare, uberiùſque cedere in nutrimentum, quàm alimenta excerpta ex fœcundiſſimo vegetantium penu. Quorſum animantia tempore, loco, victu inter ſe diſcreparent? Cui creſceret granivororum minimorum ingens illa multitudo, ſi nobis vegetantia ſufficerent? Quis juſſit ſingula, ſingulo elemento ſeparari? ab aliis terram incoli, alia mole conſpicua tenuiſſimo aere ſuſpendi, & quorumdam imperium, quorum numerus propè infinitus eſt, aquis terminari? Hæc ſanè non alium in finem inſtituta ſunt, quàm ut variatis uſibus noſtris poſſint accommodari. Quædam ſunt texturæ tenuis, & dicantur imbecillioribus, in quibus vis vaſorum ſyſtaltica & fluidorum actio deficiunt. Altera verò craſſa nonniſi robuſtis committuntur: quibus validè ſeparari & diſſolvi quàm facillimè poſſunt. Ut animantia ſeparatis vivunt locis, ſic & ſuccis gaudent diſſimilibus. Alia enim ſunt granivora, alia plantivora dicta, quæ alimentis veſcuntur vegetabilibus, ut pulli, boves, oves, quorum ſucci nimium laboris ex ventriculo expetunt, ob minimam, quam paſſi fuerunt, præparationem. Aliorum autem carnes, quæ ſuccis longâ viſcerum actione elaboratis vivunt, qualia ſunt ea, quæ depaſcuntur plantivora, non difficilè aſſimilantur. Non æquè citò reſtaurant, ac carnes eorum quæ ſibi mutuò in prædam exponuntur; ut piſces, quorum infirmiores à fortioribus (*a*) devorantur; quorum tanta eſt barbaries, ut infantulos vix in lucem editos matres depaſcantur, tantaque voracitas, ut (*b*) priùs deglutita digerantur, quàm reſidua in ventriculum detrudantur. Ex iis tamen, quæ animalium carnes amant, alia aliis anteponenda. Plurimorum fibræ rigidiores factæ primam alimentorum coctionem longiùs expoſtulant; ut plura avium genera, quæ digerentibus potentiis magis reſiſtunt, ſed digeſta citiſſimè reſtaurant. Plurima verò, ut piſces, fibris conſtant facilè diſſolubilibus, quibus primæ coctioni, & ſucco aſſimilato, quo cæteris in toto vaſorum ſyſtemate duabus coctionibus egregiè ſubminiſtrant. Tot ſanè alimenta mera eſſent gulæ irritamenta, ſi æqua omnibus conceſſa fuiſſet concoquendi poteſtas. Sed ſua cuique ineſt actio digerenti. Quot homines, tot coctiones diverſæ. Variè reguntur ruſtici, variè urbani; fortes aliter, aliter debiles. Quod juventutis tutamen eſt, peſtis eſt ſenectutis. Illud à convaleſcentibus cane pejus & angue fugiendum, quo ſani vivunt incolumes. Juvenibus robuſtis, fortibus, & ruſticis, qui valido habitu, validâ gaudent viſcerum vaſorumque actione, alimenta proſunt craſſa, farinacea, & è plantivoris. Senes verò & debiles, in quibus languent vires, abſque energiâ, aliis cibis jam aſſimilatis & eupeptioribus reſtaurandi. Sed nullis, quàm convaleſcentibus, plus confert delectus alimentorum. Fractis longo medicamentorum uſu & diætâ eorum viribus, fibris ventriculi & glandularum relaxatis, ſucci impares fiunt digeſtioni conficiendæ: diſſipati ſpiritus nequeunt per fibras è cerebro emiſſas irradiari, quò debitam partibus tenſionem communicent.

(*a*) Ariſtotel. de Animal. lib. 9. p. 208. It. Rondel. de Piſcib. p. 8. Cap VI.
(*b*) Haller. lib. Cit. act. Vent. in Ing.

I I I.

IIS omnibus ritè peragendis nullos aſſignaveris cibos aptiores, quàm eos, qui è multiplici piſcium ſpecie depromuntur. Quemadmodum enim præſtant ad vires citò revocandas vegetantibus animantia, & piſces cæteris animantibus, ſic ex iis alia aliis inſigni eminent efficacitate; Ut cuique obvium ſit ſalubriores eligere, noxios fugere, triplici ſub claſſe omnes piſces comprehendemus. Alii fluviatiles, alii paluſtres, alii verò marini nominantur. Qui vitam degunt in paludibus, conſentiente Authorum (*a*) judicio, cùm limoſis inertibuſque aquis victitent, admodum ſunt graves & excrementis redundant terreis, quibus chylus craſſus elicitur. Nec mirum, aerem ſpirant peſtiferis fœtum va-

(*a*) Galen. de ſucc. Bonit. pag. 37. It. Nonnius ichthyoph. p. 41.

poribus, nullam, aut ferè nullam exercent natationem, cœnoſum fœculentumque nutrimentum paſcuntur. Hinc ventriculum gravant, & ſucci ſunt deterioris. Fluviatiles mediæ ſunt qualitatis inter marinos, quibus cedunt, & inter paluſtres, quibus longè ſunt ſalubriores. Ad quos Barbus, Lucius, Trotta, Perca, Salmo referuntur: omnes etiam, qui in fluviis aluntur, non ejuſdem ſunt indolis & ejuſdem virtutis. Præſtantiores ſunt, qui in rapidis fluviis aguntur: ii enim aſſiduis ſuccuſſi undarum verberibus corpus exercent, aquâ fruuntur purâ, limpidâ, præterfluente. Eorum ſucci magis elaborati cedunt coctioni vel leviſſimæ; qui verò piſces in ſegnibus & tardis fluviis vivunt, mali habentur ſucci, ut Carpio, Gobio, Capito, Anguilla fluviatilis, qui limum redolent & excrementum. Cæteri, qui in rapidis fluviis vagantur, ita ſunt ſalubris indolis & innoxiæ, ut cum marinis qualitate dimicare ferè videantur. Nullus eſt tamen dubitandi locus, quin univerſi piſces marinis cedant ſalubritate. Itu enim, & reditu maris perpetuo jactati, ſucci eorum humidiores ſubiguntur, attenuantur, optimamque indolem adipiſcuntur. Marini piſces quicumque triplicem locum, & nomen triplex ſibi vindicant. Alii littorales, alii ſaxatiles, alii pelagici dicuntur. Illi reperiuntur in Oceano, hi in mari mediterraneo, plurimi utroque delectantur. His omnibus præſtant ſaxatiles; inter aſpera ſaxa, loca devia, rupes, victum quæritant. Ex horum numero Scarus, Merula, Turdus extrahuntur. Hos ſequuntur pelagici, qui profundum mare habitant, qui procelloſo aquilonis ſuccuſſu roborantur, ut Lupus, Mugil, Rhombus. Inter marinos ultimum locum obtinent littorales, qui in terreno & cœnoſo loco nutriuntur. Ejuſmodi ſunt Aurata, Scomber, Draco marinus, quos πλανήτας vocat Hippocrates. Quiſquis fractam à morbo ſanitatem recuperare cupit, ab hâc non deficiat vivendi methodo, piſces pro cibo ſeligat recenſitos: is non modò citò valebit à morbo, ſed futuros morborum eventus tutò præcavebit.

IV.

UT in morbis ſuperandis medicamentum, ſic alimentum in tuendâ ſanitate. Imperfectum ſanè eſſet naturæ opus, ſi, dum tot ſanis ac robuſtis creſcunt alimenta, ſuum quoque imbecillibus deficeret. At ipſis natura paſſim obvios piſces profudit, eoſque ſalubres, & mulplices effecit, ut, datâ occaſione ad eos, citò ac tutò confugere poſſimus. Ovorum, quæ deponuntur numerus, teſtis eſt multiplicitatis. Quòd autem ſalutaris ſint alimoniæ, ſuadet ratio, ſuadent experimenta. Enimverò ut piſces cæteris animantibus cedunt ægritudinibus, viciſſim eadem longè ſuperant ſalubritate. Vidimus enim, ſingula quæquæ animantia morboſis ſubjici affectibus, dum piſces ferè vivunt abſque ſanitatis detrimento. Non ſunt grandini obnoxii ſicut porci, aut lepores, neque ſcabie infeſtantur, quod ovillo accidit pecori, neque capræ ad inſtar febre corripiuntur. Re enim verâ vivunt alimento eupepto, aſſimilato, undè vitam protrahunt ad ſpatia tam longa, ut plurimi ſint viſi (*a*), qui annos ducentos tranſcenderant. Fruſtrà ex eorum ſalubritate aliquid argumenti deduceres, ſi intereà convaleſcentibus nocerent. Sed multa ſunt, quæ ipſorum uſum ſuadeant, & quæ ex ipſorum eſu vires promittant. A morbo reſtituti indigemus ſanguine mediæ conſiſtentiæ, copioſiori ſpirituum ſecretione, vaſorum majori tenſione, & alimentis coctionis facillimæ, quibus abundè proviſum eſt creatis aquatilibus. Piſces enim licèt torpentibus effœtiſque ſuccis exponantur, cùm texturæ ſint mollis & laxæ, citiùs cedunt viribus agentibus, promptiùs in pultem colliqueſcunt (*b*), & in mucum reſolvuntur. Levi motu externo agente, franguntur in friabilia fruſtula, quibus facilis eorum diſſolutio evincitur: ſic & eamdem probat corporis accretio, quæ (*c*) celerrimè abſolvitur. Tanta in eis fibrarum mollities! Nativa eorumdem animalium humiditas novum utilitatis ſubminiſtrat argumentum. Longo enim morborum tractu deſſicatus ſanguis, indolis eſſet lentioris, ſi non reficeretur blando quodam rore, quo præteritum, fluiditatem inter & ſpiſſitudinem, recuperare poſſet æquilibrium. Quod egregiè peragitur piſcibus (*d*) abundè ſuppeditatis portiunculis aquoſis, quibus ſeparantur moleculæ ſanguinis, à contactu mutuo præpediuntur, quò in vaſis rotari & provolvi faciliùs poſſint. Aliunde ex Chimiâ evictum habemus, corpore mucido animalia nutriri, & quò plus eſt in corporibus mucoris, eò copioſiorem fieri nutritionem. Jam probavimus, piſces omnes ferè omnino in mucum reſolvi: hinc mirum in modum nutriunt: hinc poſt morbum exhauſtæ vires, penitùſque diſſipati ſpiritus, feliciùs citiùſque reparantur. Ex hâc promptiſſimâ nutritione non minor exurgit utilitas. Nam depleta priùs vaſa replentur, atonæ elaſtica fiunt, relaxata tenduntur. Hinc contrahuntur oſtia glandularum nimis patefacta, & hiantia nimis oſcula ductuum ſecernentium. Hinc majori vi pelluntur humores, ſubiguntur, attenuantur, & reſtitutâ fibra-

(*a*) Ariſtot. lib. 8. p. 202. It. Gont. exer. Hygi. p. 376.

(*b*) Haller. Act. Ventr. in Ing.

(*c*) Rondel. lib. VIII. p. 239. Item Plin. lib. 9. c. 15. de Hiſt. Animal.

(*d*) Galen. de Alim. Fac. lib. 2. p. 30.

rum debitâ tenſione, functionum reſtituitur ordo integerrimus. Sententiæ noſtræ favet & ſuffragatur Piſcium victus: ex quo inferre pronum eſt, eoſdem partibus carere excrementitiis, & ſpiritibus ſcatere uberrimis. Aſt parvî facienda foret ratio, nî conſtans ſuffragaretur experimentum. Piſcium eſum cenſuit optimum Plutarchus (*e*) hoſque facilè digeri & concoqui exiſtimavit. Hanc opinionem propugnavit Galenus (*f*), dicendo, otioſis, ſenibus, imbecillis, imò ægrotis alimentum à piſcibus ſuppeditari commodiſſimum, tutiſſimum. In hanc etiam deſcendunt Simeon Sethi, lib. de alimentorum Facult. & (*g*) Oribazius, quibus celebres Medici aſſentiuntur (*h*); qui quidem omnes piſces conferre hominibus non robuſtis, & à morbo convaleſcentibus, arbitrati ſunt. Cur huic aſtruendæ opinioni plurimorum ſuffragia recolligam, cùm Galenus, lib. de Alim. facult. & Medicorum princeps Hippocrates in morbis mulierum, in internis affectionibus, ægrotantes piſcibus alere non dubitaverint? Quod autem cuncti ex Medici præſcripto fecerunt, illud abſque eorum juſſu non una gens experta fuit. Plurimi enim ſunt Aſiæ populi (*i*), qui ſani vel ægrotantes piſcibus veſcuntur, & qui aut ſaluberrimâ vitâ fruuntur, aut morbis afflicti citò curantur. Nunc ratione multiplici, experimento ſecuro, conſtanti, obſervatione factâ exploratum habemus, ut caro bovilla confert robuſtis, ita piſces, imbecillibus eſſe idoneos.

(*e*) Sympoſ. IV. Quæſt. IV.

(*f*) Loc. Cit. lib. 3. cap. XXIX.

(*g*) Synopſ. lib. 4. cap. XIII.

(*h*) Sennert. in Conval. Diet. T. II. pag. 107.

(*i*) Petr. Bellon. lib. 1. obſerv.

V.

ASSIGNATO hominibus à morbo recreatis certo alimentorum genere, piſcium ſpecies debent aſſignari. Iis non ſunt omnis ſpeciei piſces indiſcriminatim offerendi. Qui oleo turgent multo, quales Anguilla, Muſtela marina, Salmo fluviatilis, aliique hujus generis, à menſâ convaleſcentium prorſus ejiciendi. Illi etiam, qui ultimis temporibus recreationis ab ægritudine prodeſſent, primis nocerent. Eos primò menſæ apponi jubeas, quorum ferè nulla eſt fibrarum cohæſio: qui vix deglutiti in ſuccum levem diffluunt, qualis eſt Callarias: ſecundò Perca, lota ventriculum recreent: tertiò Luciolus famem depellat: Quartam tantummodo menſam decoret Guttata Truta, ut tandem aſſueto per cibos validiores concoquere ventriculo carnem pulli minoris elixi ingeri ſinas. Vix tamen ex eo ciborum delectu aliquid perciperet emolumenti recreatus à morbo, ſi arte coquinariâ præſcripti piſces naturam ſuam exuerent, induerentque alienam humano generi noxiam. Hâc enim arte teterrimâ ſæpe melioris ſucci adulterantur cibi, & genuinâ ſuâ indole defraudati, minùs attentos in ſummos errores deduxere. Sic ex aſſumptis piſcibus deuri fauces; moleſtamque ſitis ſenſationem percipi retulit Rhaſis (*a*). Duplex eſt piſcium parandorum modus. Simplex unus, ſimplicior alter: vel aquâ, pauco ſale marino, herbiſque quibuſdam aromaticis condita coquantur, vel frixi menſæ apponantur; poſt hanc vel illam coctionem, detrahatur cutis, ne debilem offendat ventriculum. Cave, cum Cornelio Celſo (*b*), mollem, friabilemque piſcium texturam arguas, eoſque ideò faciliùs putreſcere autumes, quòd minùs eorum ſibi mutuò fibræ cohæreant. Ut diſſolvantur alimenta, putreſcant neceſſe. Putrefactio quæ fit in ventriculo citior, quæ in inteſtinis peragitur. Quò firmior alimentorum cohæſio, eò diſſociatio tardior, longior in ventriculo mora, laborioſior digeſtio, ibi putrefactio certior. Unde ructus illi nidore ad ovos incubatos accedentes. Non firmiore ſtant talo illius Angli (*c*) verba, qui piſces minùs facilè humoribus noſtris aſſimilari cenſet quàm terræ incolas: ſententiamque ſuam malè ſtabilitam funditùs evertit ratiocinando. Cenſet enim illud fieri ex eò quòd piſces nutriantur piſcibus: quaſi verò quò plus alimenta præparationis ſubirent, eò difficiliùs concoquerentur. Nonne arguunt eorumdem innoxiam indolem millenæ, quas ſubeunt variis in piſcium ventriculis agitationes, quæ ſunt totidem veluti filtra, per quæ tranſeunt, ut defæcentur citiùſque reſtaurent? Cùm ad probandam opinionem noſtram mutuas ſibi vires conferant experimentum & ratio, cogit nos neceſſitas, hanc ex præmiſſis eruere concluſionem:

(*a*) Lib. 3. ad Almanſ. cap. XVI.

(*b*) Lib. 2. cap. XXI.

(*c*) Cheyne. Regl. S. la Sant. p. 57.

Ergò infirmis à morbo viribus reparandis Piſces.

Proponebat Pariſiis, CAROLUS-AUGUSTINUS VANDERMONDE, Macacæus apud Sinas, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1749, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1749.